



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola LXXIII. Ioannis Papae VIII. Ad Eymdem. Grauiter eum reprehendit  
quod in literis quas scripsit, honorem debitum apostolicae sedi non  
habuerit, & ne legati absque eius consensu mitterentur ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

## EPISTOLA LXXIII.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD EVMDEM.

Grauiter eum reprehendit quod in literis quas scripsit,  
honorem debitum apostolicæ sedi non habuerit, & ne  
legati absque eius consensu mitterentur postulauerit,

*Nobili viro Lamberto glorioſo comiti.*

**S**EDEM apostolicam, quam Deus omnipotens supra p-  
tram sui nominis fundare dignatus est, non solum reges  
& principes terræ, verum etiam imperatores Augusti, &  
totius orbis domini suis apicibus, vt pote caput omnium  
ecclesiarum Dei, honorauerunt, dignisque præconiis eius  
ponitices, vicarios scilicet beati Petri apostolorum prin-  
cipis laudauerunt, votisque supplicibus deprecari studue-  
runt; & usque in finem saeculi, Petri manente nomine ac  
memoria, supplicare non desinunt. Quapropter audientes  
literas tuas quas mandasti, mirati valde fuimus super ea-  
rum verbis inconuenientibus, quæ nec debitas sancto Pe-  
tro laudes resonant, nec ecclesiasticis concordant regulis,  
vel doctrinis; cum nobis illa verba mandasti, quæ saecu-  
laribus viris, & comparibus tuis scribere solitus es, hoc est,  
cum dicis nobis, Tuæ nobilitatis: vel cum dicis nobis, Mo-  
nemus nobilitatem vestram: in quo luce clarius mentem  
vestram cognoscimus erga nos minime deuotam, sicut pu-  
tabamus existere. Idcirco nostræ paternitati, tam vilibus  
verbis, & inconuenientibus sermonibus scribere audaci  
potius quam sincera mente voluisti: & mirum non est,  
quia de amaro fonte dulcis aqua non hauritur. Porro quia  
dixisti, quod sine consensu tuo nostras legationes nul-  
quam mittere deberemus usque hoc non fuerit, nec li-  
teris legitur, nec a quoquam superstite unquam fuisse re-  
miniscitur factum: & ideo sedes apostolica libera semper  
existens liberam ubique suam mittit legationem, habens  
Domini auctoritatem dicentis: *Ego pro te roganus Petre, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.*  
*Luc. xii.*  
De his autem quæ olim dicta sunt inter nos, pro diuersis  
ac multiplicibus contrariis, & aduersitatibus, nec non &

M iij

corporis incommoditatibus, quas quotidie patimur, nobis aliquid considerare, vel pertractare non licet. Nos tamen, si prudentiam vestram in nostris profectibus, & utilitatibus ecclesiæ Romanæ cognouissemus deuotam existere, nostramque voluntatem prompte perficere, loco vos filii dilectique cuperemus retinere amici; & ea quæ vestræ saluti ac prosperitati essent utilia, grato sane animo perficeremus: sed quia vos, nobis relictis, in partem contrariam inclinatos videmus; non solum obstupescimus, sed etiam a vestræ amicitia nos similiter declinamus consortio, quod pro Dei amore valde retinere voluimus carum. Hanc præterea epistolam nostram secundum morem per Longobardum fidelem vestrum, & literarum delatorem vestrum, vobis mandare voluimus; sed ille a nobis eas recipere, vestræque noluit deferre sagacitati: sed sicut & antiquus usus exigit, & ratio manifesta fieri declarat. Data ut supra.

Aliquid  
debet.

## EPISTOLA LXXIV.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD GVAIFERIVM PRINCIPEM SALERNITANVM.

Hortatur ut in sua integritate perseueret, & Amalfitanos corripiat, quod auxilium nauale non miserint,  
& nimia calliditate in se  
vtantur.

*Amantissimo filio Guaiferio principi.*

2. Petr. 3.

**D**E VOTIONEM igitur animi tui ex die qua te cognoscui paucis verbis explicare non possum: hoc tamen veraciter scimus, quia apud Deum & apud nos tibi omnia salua reseruantur tempore opportuno. Idcirco monentes hortamur, & rogando iubemus, ut in semel tua percepta bonitate perseuereres. Quoniam scriptum est: *Non tardat Dominus promissum suum, donec adimpleatur quod locutus est:* & ideo nosse gloriam tuam cupimus, quia ex parte Amalfitanorum nullum nobis iuxta conditum placitum studuerunt præbere adiutorium nauali certamine a Traiecto usque Centumcellas. Insuper quadam calliditate afferunt, non in decem millium tantum mancuforum, sed & in duodecim millium fuisse nostram promissionem: